Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

aduixerit. hec uocabitur mulier: quia de uiro suo sumpta est. cur non ait
potius unde opinio confirmaretur istorum: quoniam de uiro suo caro eius adsumpta est.
Hic itaque illi qui contra sentiunt. possunt dicere. quia non scriptum est
carnem mulieris. sed mulierem de uiro suo sumptam. totam utique debere accipi
cum anima et spiritu. Nam si et anima sexu caret. non tamen quando ap
pellantur mulieres. ex cepta anima eas necesse est intellegi. alioquin
non ita se admonerentur ornare non intortis crinibus aut auro uel marga
ritis aut ueste preciosa. sed quod decet inquid mulieres promittentes
pietatem per bonam conuersationem. Utique pietas intus est in anima uel
spiritu. et tamen mulieres appellatae sunt etiam ut se intus ornarent
ubi nullus est sexus. Cum itaque isti sic inter se altercantes sermone cer
tauerint. ego inter eos sic iudico. ut ne incognitis fidant. et temere
audeant adfirmare quod nesciunt. utrosque commoneam. Si enim scriptum
esset. insufflauit flatum ~~faciei~~ uiri in faciem mulieris et facta est in animam
uiuam. nec sic esset iam consequens. ut non propagaretur ex parentibus anima.
nisi etiam de filio hoc scriptum similiter legeretur. fieri enim potuit ut
membrum non animatum de corpore extractum indigeret ani
mari. filii uero anima ex ~~patre pa~~ patre per matrem propaginis trans
fusione traheretur. Cum uero tacitum est. occultatum est. non negatum.
sed neque adfirmatum. Ac per hoc sicubi forte non tacitum est. clarioribus
documentis adstruendum. Unde nec illi qui defendunt animarum
propaginem. ex eo quod non sufflauit deus in faciem mulieris aliquid adiu
uantur. nec illi qui eam negant. Ideo quia non dixit adam.
anima de anima mea. debent sibi persuadere quod nesciunt. Sicut
enim eadem non soluta sed manente questione potuit tacere
scriptura. quod mulier deo sufflante sicut uir eius acceperit animam.
sic eadem non soluta. sed manente questione potuit tacere scrip
tura ut adam non diceret anima de anima mea. Ac per hoc si
propterea mulieris anima ex uiro est. apertius significatum est. ubi legitur.
hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. cum tota ex uiro
non caro sola sit sumpta. Si autem non est ex uiro. sed eam deus